

.x. ITEM ALIA .

Factum est fratres karissimi cum implesset iohannes haec
et multa his similia . et cum annorum esset nonaginta .
.vii. apparuit ei dominus iesus christus cum discipulis suis dicens illi .
Ueni ad me . quia tempus est ut epuleris in conuiuio meo
cum fratribus tuis . Surgens autem iohannes continuo cepit
ire . sed dominus dixit ei . Dominica die resurrectionis
meae . quae post .v. dies futura est uenies ad me . Et cum
haec dixisset . statim in caelo receptus est . Ueniente
itaque die dominica . conuenit uniuersa multitudo
populi in aecclesia . quae in eius nomine fuerat edifi-
cata . et a primo pullorum cantu agens misteria dei . om-
nem populum usque in horam diei tertiam allocutus
est dicens eis . Conserui et coheredes . et participes
regni dei . uidistis quae dominus iesus per manus nostras opera face-
re dignatus est . Nos autem ministri fuimus uoluntatis illius ;
/18v/ ille auctor operum quae a nobis quidem fieri uidebantur . sed illo
iubente celebrantur omnia . Illa igitur signa . dona . requiem .
ministerium . gloriam fidem . communionem . gratiam . munera .
quamdiu nobis donauit accepimus . quamdiu concessit .
diuisimus . In illo enim conuersati sumus : in illo exultauimus .
in illo uiximus . sed iam nunc ad aliud opus uocat . Dissolui
enim iam delectat et esse cum christo . quia hoc quod olim desi-
derauimus . iam non moratur tribuere . Et cum haec dixis-
set . conuersus ad dominum dixit . Domine iesu christe . aecclesiam tuam
quam aedificasti tibi . misericordia tua protege . Tu domine solus mi-
sericors et pius . solus saluator et iustus ; qui es radix inmor-
talitatis . et fons incorruptionis . consortium nobis huius com-
munionis sanctifica . et hanc plebem quam per gloriosam filii tui

passionem acquirere dignatus es . in tuis bonis operibus semper
custodire digneris . et dirige eam in lege tua quam in populum
tibi adoptiuum elegisti per unigenitum filium tuum . qui nos
elegit esse . discipulos . et ouium tuarum pastores esse consti
tuit . qui tecum in aeternitate uiuit in unitate spiritus sancti amen .
Et cum orationem complisset . petiit sibi dare panem . Respiciens
que ad cælum benedixit eum ac fregit . et erogauit omnibus
dicens . pars mea sit uobiscum . et uestra mecum . Deinde post
haec . iussit sibi perfodi sepulchrum . Et dum tres ex fratribus
foueam secretius perfodirent ipse hortabatur ceteros . ut
semper sequerentur dominum . At ubi facta est fouea iuxta
uoluntatem eius . nullo sciente exiit se uestem . et strauit
eam super foueam . et stans cum lintheamine . extendit manus
ad dominum dicens . Deus omnipotens et tu iesu christe . qui me seruum
tuum speciali amore fouisti . suscipe animam famuli tui
/19r/ quem cito elegisti . sed sero adsumpsisti . Quotiens te rogau
i ut ad te uenirem . et dixisti mihi . Expecta paululum . ut liberem
populum meum per te michi crediturum . Expectaui et tu custo
disti corpus meum ab omni pollutione . et non dereliquisti me
solum cum irem in exilium . Posuisti enim in ore meo uerbum
ueritatis tuæ . et scripsi ea opera quæ oculis meis uidi . et uerba
quæ ex ore tuo auribus meis audiui . Et nunc domine commendo
tibi filios tuo` s` quos tibi per aquam et spiritum sanctum regeneraui . et me
suscipe . ut cum fratribus meis sim cum quibus me uisitare uenisti .
Aperi mihi ianuam uitę . et principes tenebrarum non occur
rant michi . Et manus extranea numquam a te me sepa
ret . sed suscipe spiritum meum . et perduc me ad conuiuium epularum
tuarum . ubi epulantur omnes amici tui . Tu es enim christus filius
dei uiui . qui precepto patris `obediens` mundum saluasti . qui spiritum sanctum tuum
nobis dedisti . et nos communiter per eundem spiritum tibi gratias
referimus . per infinita secula seculorum . Et cum omnis populis respon

disset amen . Lux tanta apparuit super apostolum per unam fere horam
resplendens . Ut nullus eam sufferre poterat . et signans
se totum astit dicens . tu mecum sis domine iesu christe . Et cum proiecit
se supra tumulum in quo strauerat uestimenta sua et dixit .
Pax uobiscum fratres . et omnes benedicens ac uale faciens depo
suit se uiuens adhuc in sepulchro suo . et iussit se operire
laudans et glorificans deum . Et statim in hac uoce reddidit
spiritum . Alii gaudebant . alii autem flebant . gaudebant . quia
tantum in illo cernebant gratiam . dolebant . quod tanti uiri
aspectu et presentiae specie disiungebantur . sed protinus
manna ex sepulchro eius deuenit . adorificans super omnes
ibi astantes . quam usque hodie locus ipse gignit in die natalis eius .
/19v/ et curantur omnes ab omnibus infirmitatibus suis uirtute precum
et orationum eius . Largiente domino nostro iesu christo . qui coronis
aureis clarificat sanctos suos . Cui est honor et imperium et po
testas cum patre et spiritu sancto . per infinita secula seculorum amen .